

14.

SANGUINEA  
APOLLINÆ  
PALÆSTRAE  
ACIES,



*QVAM SINE STRAGE*  
Surdis auditum, Cæcis visum, Deliris men-  
tem, Vetulis juventutem, Uxoribus pacem  
restituendo.

SUB DEI TER OPT. MAX. PROPUGNACULO  
CELSISSIMI DUCIS NOSTRI PRIMATU  
SENATUS MEDICI AUCTORITATE:

*CORAM*

*Integerrimo Ducalis Herbipolensis, Universitatis Com-  
militio, plenissimo Castalidum laurigerarum Applausu:*

ARMIPOTENTI AULÆ ACADEMICÆ MAJORIS  
ARENA CURIOSE INSTRUUXIT  
*NOBILIS CLARISSIMVS ET EXPERTISSIMVS*  
*DOMINVS,*

D.FRANCISCUS KLEINIUS  
Philosophiæ & Medicinæ Doctor, ac Almæ  
Universitatis Professor ordinarius;

*D.V.M  
Nobilem Clarissimum & Doctissimum Dominum,*

Chirurg. OANNEM VITUM HELLMUTH  
Coronacensem, Medicinæ Doctorem  
INAUGURAVIT.

*Anno supra M. DC. LXXX. ad Diem 20. Februario.*



REVERENDISSIMIS PERILLUSTRIBUS  
ET PER QUAM GRATIOSIS DOMINIS,  
DOMINIS

D. FRANCISCO CONRA-  
DO à STADION  
PRÆPOSITO ET JUBILÆO.

D. JOANNI PHILIPPO  
AB EGLOFESTEIN DECANO,  
CÆTERISQUE D.D. ECCLESIAE IMPE-  
RIALIS BAMBERGENSIS CAPITULA-  
RIVS; PATRONIS MEIS ÆTERNVM  
VENERANDIS.



Vis in historicâ antiquitatis luce, vel in egregijs vir-  
tutis monumentis peregrinus est adeò, ut vel non au-  
diverit aliquando, vel legerit ipse capta suscipienda-  
rum Provinciarum à Superis, quorum præsidio tenta-  
tata negotia secundo sine offensâ cursu ad optatos fines  
de volverentur? Neque vero illud pro cuiusvis arbitrio ita sine lege concedebatur, ut non singula mortalium studia singulare  
quoddam sibi Numen deposcerent, sub cuius clientelam convolarent. Erant  
sua Navigatori Numinia, Tyndaridae de Cælo gemini, armigeri per mare  
Tritones, fautores per Cærula venti, placido compositus vultu Neptunus:  
Quorum præsidio, ut designato portu feliciter potirentur, priùs omnem clas-  
sis apparatus solenni sacrificio dicabant, quam subtractâ anchorâ haren-  
tem à littore navim removerent. Erat sua sapientibus Pallas, Apollo va-  
tibus,

zibus, suis militibus Mars & Bellona, qui accendebant animos, incitabant  
 spiritus, ordinabant acies & depopulatrices hostium manus, ab agris, a me-  
 nibus, ab aris focusque patrijs avertiebant. Quare si quod Numen labori  
 meo, quem arti medice & consecravi, præficiendum est, non ego Hermetem  
 aliquem e Gracis, non Suadam e Latinis, non Herculem e Gallis advocabo,  
 sed Vos Reverendissimos, perillustres & perquam gratioflos Domi-  
 nos meos; idq; non vanis persuasus argumentis à Vobis desiderari ar-  
 bitror, ut Epomidem meam Vobis sacram dicatāmque esse velitis, auspi-  
 cia suscipio de sanguinis Circulatione. Quid enim, si Cor est prima san-  
 guinis officina, præclare Vobiscum agi gloriabimini, ut sub Quorum  
 tutelâ Primigenij mei sanguinis florem Cor meum effinxit, illum per gra-  
 tam Circulationem ad Vos reducat, & ut ille, qui omnibus latè Regioni-  
 bus se infundit Oceanus, recipit è terris aquas, quas non illiberalis sugges-  
 sit, ita quidquid in Cor meum manavit in servitium vestrum reflexo alveo  
 retorqueo. In vestrum meritò servitium, Qui vel in fulis verendi, vel pe-  
 do spectabiles Divorum aris assistitus Magnates, vel inviolabili Sacra-  
 mento subscriptas Numini Cohortes moderamini, vel augusta Majestatis  
 latera æquè sagatà Pallade ac togatà stipatis, vel subjectis urbibus populisque  
 Iura dicitis, vel Provincias in leges cogitis, qui demum in universa Ger-  
 mania sunt, quos non ita vestrâ vel informatis Eruditione, vel excolitis  
 conversatione, vel impellitis Exemplo, velexercitatis Imperio, vel dirigi-  
 gitis legibus, vel armatis virtute, vel munitis spiritu; ut jam in  
 Franconiâ nulla, præcipue in solo Bambergensi, occurrere possint incom-  
 moda, quæ non absorbetis, adversa, quæ non invaditis, abusus, quos non e-  
 ruitis, honestatis leges, quas non asseritis, vitia, quæ non extirpatis, virtu-  
 tes, quas non implantatis, ruine, quas non fulcitis, prosperitas, quam non  
 adaugetis. Quo fit, ut feliciter congestis omnium laboribus Imperatrix  
 mortalium animus dominetur, catenata serviat membrorum licentia, ob-  
 via incedat in compitis modestia, domestica jubeat in penetralibus Sancti-  
 monia, ornata vivat in Templis Religio, afflictæ gemat in foro perfidia,  
 erectæ triumphet in Tribunalibus æquitas, amabiles vigeant in Magistra-  
 tibus curæ, secura in moribus procedat innocentia, armata in virtutibus  
 prælietur emulatio. Hinc Vos meritò dixerim Patriæ fulcra & Veterum  
 ruinarum cum fænore restauratores, qui nunquam ab adeundis difficulta-  
 tibus

sibus, pedes, ab oppugnandis periculis pectus, ab exhibendo subsidio manus,  
 à supportanandis oneribus humeros, à præteriorum medelâ memo-  
 riam, à præsentium dispositione solertiam, à futurorum ordinatione provi-  
 dentiam, ab instituendis Curijs sapientiam, à reformandis Civibus studium,  
 ab excolendis animis animum substraxisti. Quod si uspiam furor insanus  
 discordiam inflammavit, moderatione vestrâ velut offusâ frigidâ extin-  
 xisti; si erupit in forâ libido, injecto frâno coercuisti; si grassata impunè  
 calamitas urbes in ruinam inclinavit, Vos firmissimâ torrenti repagula ob-  
 jecisti; si labefactata trepidavit religio, ne corrueret, humeros subje-  
 cisti; si publica improbitas in rebellionem exarsit, armâstis animos, ex-  
 pedivisti bella, victorias reportâstis. Hinc Vestra Nominam si sunt po-  
 tiùs Cœli Numinâ, quibus Epomidem meam sacram dicatâmque esse oport-  
 eat. Hanc igitur in vicem gratitudinis successoram, solito patrocinio  
 quo me gratiosissimè prosequi dignemini, suscipite: ita votis omnibus  
 expeto

**REVEREND. PERILLUSTRIUM ET PER-  
 QUAM GRATIOSORUM DD. VV.**

*Manilius Clemens*

**JOANNES VITUS HELLMUTH.**

**PRÆ-**



## PRÆFATIO.

**A**ndem nunc tandem aliquando sub DEI ter opt. max. propugnaculo, Celsissimi Principis Petri Philippi primatu, senatus Medici authoritate, Castalidum laurigerarum applausu, integerrimorum virorum commilitio, in hac armipotenti aulæ arenâ, in apollineam honoris palæstram, per augustissima virtutis adita, labore, industriâ, constantiâ Duci- bus, animi magnitudo suadet concendere. Laudetur divinum propugnaculum, triumphet principalis primatus, commendetur medica authoritas, vivat virile commilitium, lo conspiret tubarum tympanorumque applausus in hac arenâ.

Ter, & amplius fælix, qui non aberrat; fælicissimus qui admitti- tur: Sed planè Deorum progenies isthuc victoriarum insignia re- portans. Verùm ô honor ubi tua amplitudo, si quis laborem demplerit? ubi est invicta potentia tua, si industria cessat? ubi splendor aureus, si constantiæ robur enervatur? ablatus labor tibi gloriæ purpuram exxit, cessans industria exarmat potentiam, ful- gorem obnubilat inconstans inconstantia. Te vincit insomnis, quia omnia vincit labor: Nemo sine constantiæ robore, sine indu- striæ præsentia, sine laboris amore ad hujus palæstræ aciem sanguineâ crudeliter propinatam pugnâ admittitur. Quam honorificis instructus armaturis inicit hic Dominus Candidatus JOANNES VI- TUS HELLMUTH; dum doctrinæ galeâ ita decoravit caput, ut etiam intellexerit: Temperantiæ torque collum circumdedit, ut se cu- stodiverit: Vigilantiæ loricam tergo injecit, ut vixerit: Con- stantiæ hastâ manus docuit, ut finiverit: Patientiæ clypeum exce- pit, ut pugnâret: Pugnârit in TRIVIALIBUS, dum rudi puero mon- strabatur littera, formabatur syllaba, veniebat structura verbo- rum, Pugnârit in humanioribus: Dum artis tradebatur usus, per

pedes proprios nascientia Naso nis surgebant carmina, tonantia Cicero nis colebantur jugera. Pugnârit in PHILOSOPHIA: Dum subtilia Cleanthis insonabant atria, Socrati sapientiam æthicam redolebant libri, Platonicis in cultus animus emendabatur studiis: Pugnârit in BOTANOGRIA, dum Ambrosii dulcedo, Panaceaæ fragrantia, Amaranthi venustas ad montuosa Hymetti versiculor is herbeta, per assurgent es deviorum recessus provocabant. Pugnârit tandem in MEDICINA, dum fratres Podalitii & Mechaonismendi artes, quâ publicè, quâ privatim in Danao expertæ ad luctuofam faxis pestiferæ tragœdiâ invitabant, in medicinâ, quæ horridus undique difficultatibus infinita rimatur per PHYSIOLOGIAM, cur sanguis in naturali statu consistens per irriguos canales sitibundis universi corporis partibus in nectar cedat vivificum: Sanguis nutritiâ suâ substantiâ pro sustentatione esurientium viscerum militet: Sanguis animali suâ spirituascentiâ mobilem torpentium membrorum vigorem restituat: Sanguis ex servili cordis dispensatione per arteriarum ductus omnibus ex æquo partibus benefaciat, sit vinculum corporis, sit vehiculum animæ, sit author humorum, sit magister organicarum in nobis spirantibus essentiarum præsentissimus; in medicina, quæ investigat per PATHOLOGIAM, quâ vi ex adverso sanguis à naturali sede dejectus, si videlicet in vasis copia luxuriat; si impurâ vitiosorum humorum commixtione incommodatur, crudas astumptorum pertinaciâ sibi adjecit portiones, igne vitali fervet, corporeo labore æstuat, turgescente ferocia tumultuat; verbo, si sanguis execrando causarum morbificarum vestitu fese induit, quâ vi, inquam, æconomicam memoratarum partium architecturam susque de que vertat. In medicinâ, quæ utitur per SEMEIOTICEN signis ad manifestandam sanguinis indolem: Eundem enim substantiâ, colore, sapore & motu inculpatum notant morum mediocritates vitijs contrariis interclusæ: Audaciam scilicet inter & timorem alacritas; iracundiam inter & ignaviam mansuetudo; præcipitantiam inter & cunctantiam prudencia; misericordiam inter & invidiam, humanitas; calliditatem inter & hebetudinem, integritas; prodigentiam inter & avaritiam,

ritiam, liberalitas. In medicinâ, quæ occupatur per HYGEI NEM pro conservatione sanguinis ejusdem benefici, ex æris subtilioris inspiratione, ciborum eucymorum esu, vini generosioris salubriter diluti potu, somni moderati dulcedine, exercitii corporei modestiâ, gaudii sperati plenitudine. In medicinâ, quæ pergit per THERAPEUTICEN, indicationibus ad emendationem sanguinis è contra malefici, desumptis, tum ex chytrurgiâ quâ per artificiosum ignis, ferri, manûsque ministerium ab injuriis sequestratur: Tum ex Pharmaciâ quâ per plantarum sanguineo succo madentium, ut Poligoni, Lysimachiæ, Persicariæ, Amaranthi, Centaurei minoris, Hyperici, Sanguisorbæ, Anchusæ, Tormentillæ, Bliti, Saracenicæ, Pirolæ, Asphaldi, nec non gemmatum, lapidumque sanguineo nitore flegrantium, ut Corallorum rubrorum, lapidis hæmatitis, Cinnabaris, Rubricæ, Coroneoli, Sardæ, Chalcanthi usum mirâ in sanguineos affectus energiâ exurgit: Tum ex diætâ qua idem sanguis atro calculo notatus per æris vitiosi, ut cœli squallore imprægnati, syderum virulentia infecti, inviorum præcipitio conclusi, lacustris, putridi, & nebulosi politiem: Per victus nocivi, cibi difficilis concoctionis, multi excrementi: Ut carnium annosarum, piscium lacustrium, frugum horariorum, leguminum, caseorumque fugam; potus illaudabilis, ut cerevisiæ fæculentæ, vini non bene defæcati, penduli, sulphurei, aut nimis generosi, ejusdemque in multam noctem ingurgitati parsimoniam: Per laborum moderatorum, exercitii ante cibum ad uborem usque inniti, ut venatus, architecturæ, horticulturæ, & economiæ, villicationis, pescatûs, colludijque amplexum: Per animi denique pathematum; Ut mœroris, iræ, desidiae, invidiae, avaritiæ, ambitionis, follietudinis, solitudinis, intensiorisque studii frœnum, albo iterum inscribitur sanguis. In medicinâ tandem exclamo, quæ novo anatomes scrutinio pruriuntibus admirabilia discenda ingeniiis explanat, quod sanguis ex vulnere, vi interfectorum exire, sanguis præsente occidente è cadavere emanare, sanguis sudoris in modum solo amore & irâ erumpere citra miraculum valeat; sanguis necessariò circuletur, sanguis utiliter transfundetur. De cuius transfusionis

sionis fructus, methodo & phænomenis pergam mox fusiūs discutere, si armiger Dominus Candidatus in ordine ad supremos homines, fidem im posterūm orthodoxam, constanter, sincerè & sine omni mentali restrictione lervaturum se prīus obligārit.

## CITATIO PEDELLI.

**H**uc ad sonitum vocis vestigia torque  
Adjuratum carpe Pedelle viam.  
Prælege distincto, quæ sunt præstanda labelle  
Hoc doctorando belle Pedelle meo.

## Fit Juramentum.

Ærea conspirent in supplex cornua votum;  
Quod parat ad cæptum prævia strata gradum.

## APPLAUSUS TUBICINUM.

**L**Audabili obligasti te Sacramento, quo DEO, Ecclesiæ & Universitati satisfecisti; jam post tantæ pugnæ labores, post Asclepiaci pulveris trieterida ad honorificas Apollinis Lauros aspirabis: sed patientiâ corpus erudi, donec quæstione inaugurali me extricavero.

## RESOLUTIO QUÆSTIONIS INAUGURALIS.

*An à Neotericiis inventa Transfusio Sanguinis sit utilis?*

**A**ncororum corundemque humano generi maximè proficuorum multa in abditissimâ hujus mundi majestate latent, quæ nulla unquam argutissimâ etiam ingenii acie penetrabuntur! Plura tempore rerum edaci in apricum veniens

venient, quæ post primum mundi ortum, cæco in hodiernum usque diem delites-  
cunt recessu: Sic deficiens numero digitus, infelix hereditate Phthisis, suspicioſa  
miseriis podagra, vorax ulceribus Cancer certæ imposterum medendi methodo  
forsan subjicientur: Quæ auxiliatricem huc usq; ignorârunt manum: Plurima  
ſagaci ingeniorum partu jam edita sunt, quorum primis ſæculis alta erat sterilitas:  
Ut silentio præterea arcana juxta ac stupendos Thypographiæ, bombardarum,  
horologiorum, numerosorumque adhuc artificiorum partus; sic sub nostrâ hac  
currentis ſæculi memoriâ ad inæstimabile medicæ artis complementum peperit  
venas leætas Casparus Aſellus, ductum pancreaticum Joannes Georgius Vinsun-  
gus, Vasa lymphatica Thomas Bartholinus, ductus ſalivales ſuperiores Nicolaus  
Steno, inferiores Thomas Wartonius ductum thoracicum Bartholomæus Eusta-  
chius, ſanguinis Circulationem Wilhelmus Harveus: Sic demum in lucem pro-  
diit Neoterorum nova & à retroſæculis inaudita ſanguinis transfusio; *Quæ eſt  
maſſa ejusdem ſanguineæ, ſi vè ejusdem ſive diuersæ ſpeciæ per paratos arte Hamato-  
gogos è ſanguifluo vase unius animalis, in ſanguifluum vas alterius immediata de-  
rivatio, ad vitam prolongandam, vel morbos amoliendos potissimum exagitata,*  
Anno Millesimo Sexagesimo, Quinquagesimo ſexto à Christophero Wren ma-  
thematico Academie oxoniensis insigni (ſalvâ laude Anglorum, & Gallorum,  
quorum hi è bruto in hominem; illi è bruto in brutum transfusionis authores di-  
ci volunt) per experientiam in cane quodam grandiore factam, cui infuſibilem li-  
quorem intromiſit: Quo exemplo curiosæ rei obſtupendo, inter cæteros Com-  
motus illustris Boilus inventis adjiciendi ſtudiviſſimus, periculum in diversis fecit  
canibus, opium & crocum metallorum infundendo. In Italiâ Fracſatus Ana-  
tomiae professor Pisanus, divulgatis per annum hujuscemodi observationibus, hoc  
artificium promovit in diuerso brutorum genere, liquores acidos, ſanguinemque  
coagulantes tranſfundendo: Communicatis magis & magis, eruditissimorum vi-  
rorum experimentis Oxonii, Londiniique factis operationis tranſuſorii imitati-  
one tandem quâdam eò deuenit dexteritas, ut humanarum quoque venarum ſuc-  
ceſſerit exercitium: Siquidem anno ſubſequente Dominus de Bourdeaux vi-  
num emeticum venis malefici cujusdam brachiis libus tranſfundere ſine omni pe-  
riculo tentavit: Thimotheus Clericus inter Anglos laudatissimus in ædibus Il-  
luſtrissimi Marchionis Dorceſtræ, plurima eaque optatissima fecit experimenta  
per omnis generis liquorum tranſfusionem: Cùm jam novitatis amore facile hu-  
manum incendatur pectus, plūs ultra progressum eſt in nostrâ Germaniâ; quippe  
Joannes Daniel major professor Kiloniensis, Joannes Sigismundus Elſholtius,  
Brandenburgicus archiater, & Doctor Fabritius Gadenentium Physicus, curiosæ  
inventi tranſuſorii indagine ad pleniorē venerunt plerorumque morborum  
medelam: Enim verò antipileptica tribus mulieribus Herculeo morbo oppreſſis,

antiscorbutica, uni per septentrionalem luem contaminato, antifebratica, febrilium paroxysmorum insultibus divexato, antiapoplectica, mali siderati fulminibus exacto. cathæretica, ulcerum spurciis sordidato, arthritica, articulorum crucem incusanti bonis avibus infuderunt. Ast? an utilis sit hujusmodi neotericorum transfusio sanguinis, dum imbecilli succinctæ dissertationis molimine in præsentiarum exponere animum induxi meum, spectatissimorum simulac integerrimum virorum imploro patientiam: Si forté hallucinari contigerit, quod humanum est, vel ex eo veniam mihi polliceor, quod judicii mei difficultas difficultati operis novi obstet, quo minus omnibus ex esse satisfactus sim: Iis maxime, quos maledictus cum simulatâ etiam condolentiâ detrahendi quotidie, & trutanzandi mos execrandos reddit; in magnis voluisse sat est: Turbidat domus, sollicitat Cathedra, avocat febris, absterrent gravia censorum arbitria; tametsi ad voluntatis centrum fixo colimare obtutu possim, non velim; ne cicada raucescens in Eunomii Cythare dilytam devolem.

Utilem esse hanc Neotericorum sanguinis transfusionem pars negativæ adhæret, pars affirmativæ sententiaz subscribit. Pro negativâ stant sequentes rationes.

1. morbi exterminandi ortum ducunt, vel à sanguinis effervescentia, vel ab ejusdem corruptione; si ab effervescentia: eadem potius ad aucto exuberanter calore per transfusionem alterius incendetur; ut testantur illi ipsi, qui corpora sua huic experimento subjecerunt, notabilem plerumque incandescentiam ab excepto sanguine advertentes: Si à corruptione: Portio sanguinis transfusi exigua tantum abest, ut corrigatur, quin imò injuriosæ coñixtionis vitio magis inquietur:
2. vel adest paupertas sanguinis, vel ejusdem luxuries: Si illa: Aliam substituendo morbus inanitionis non tollitur, sed mutatur saltē. Si hæc: Sicut sanguis missus levamini; ita ex opposito transclusus erit oneri.
3. Sicut unius animalis semen ad generandum aliud diversæ speciei nihil facit; ita nec sanguis unius, femini utique similis, aptus est pro alterius nutritione: Sanguinis videlicet pars cornuum productioni destinata, quid contribuet ad nutritionem corporis humani?
4. timendum, ne ad emissi sanguinis putrefactionem recepti quoque sympathiâ quadam sequatur corruptio, exinde, loco salutis speratæ, præmatuра mors: Quemadmodum in artificiali ad tollendam deformitatem naso contingit, qui post obitum illius, ex cuius carne constat, quamprimum putredine corruptitur.
5. Indignâ bestialis sanguinis in humanas venas transfusione hostilitas in barbariem, prudentia in stuporem, humanitas in ferociam, atque adeò rationalis mens à temperamento dependens, in animarum, animorumque confusione incredibili quadam metamorphosi degenerabit: Unde tam Apollineorum, quam Aristotelicorum multi transfusionem sanguinis pro aris & focis mordicūs oppugnārunt; quorum non secundus Dominus Lamy Gallus, qui in epistola ad Moraldum facultatis Parisia-

risianæ medicum datâ, inutilem, immò animantibus perniciosa dñnavit: Eu-  
xipon Philosophus & Medicus, qui dissertatione peculiari Parisiis impressâ, ut  
inimitabilem, multò magis inutilem prolixius impugnavit: Andreas Libavius ex-  
cellens Physicus, qui hanc rem insolitam tanto habuit ludibrio, ut medicorâ  
candem, vel pro minimo fructu suadentium, mentem potius curandam esse cen-  
suerit: nec non Georgius Abrahamus Merckling Norimbergensi Medicus or-  
dinarins, qui in tractatiuncula de ortu & occasu transfusionis sanguineæ ante an-  
num primitus impressa, transfusionem à bruto in brutum, à medico foro rejicit,  
ab homine in hominem, nec approbat nec rejicit: à bruto autem in hominem ad  
prolongationem vitæ, & morborum curationem, multis tum argumentis, tum si-  
militudinibus refutat: Argumenta hæc sunt. 1. aliquot ab hinc annis Römæ,  
& Lutetiis Parisiorum publicè interdictam fuisse. 2. Deum ipsum non uno sa-  
crarum litterarum loco mystis suis præconibus belluini sanguinis usum, sub indig-  
nationis pœnâ humano generi prohibuisse. 3. Brutalem sanguinem humano  
sanguini affusum bruti naturam, genium, ac proprietates, ita homini impressurum  
& affricturum esse; ut hic ferinam inde naturam habitumque fortassis aliquan-  
tum sit assumpturus, authoritatibus quibusdam adductus, ut Aristotelis lib. 2.  
de animalium partibus cap. 3. & 4. item lib. 2. text. 32. Virgilii Æneidos lib.  
9. versu 350. Jacobi Martini de cognitione sui disp. 1. probl. 6, Andreæ Vallesii  
sacræ Philosoph. cap. 5. qui singuli animam inesse, atque ita totius animalis pro-  
prietates, omniumque membrorum potentias, atque naturæ characterismum obti-  
nere testantur. 4. Utilissimam quidem futuram, si æquè exerceri ars posset, ac  
docetur. 5. Sanguinem extravasatione refrigeratum, crux potiori jure di-  
cendum esse, ut cadaver humanum homo est. 6. Omnem subitam mutatio-  
nem esse periculosam. 7. Sensim aboleri hanc artem. Similitudines sunt hæc,  
à pyro diuersum ramum, pomoque insertum suam indolem non mutare, inque po-  
mo non poma, sed pyra facere: Sic consentaneum videri, sanguinem bruti in ho-  
minis venas derivatum, in homine non humanas, sed belluinas, tanquam fructus,  
editurum esse actiones. Dein pauxillas tantummodo prolifici utriusque seminis  
in fœcundo utero invicem copulati guttulas illius animantis, à quo defluxere, i-  
dæam quasi in se continere; hincque toxum sibi simile, tam quoad corpus, quam  
quoad animam totius plantæ complecti, suique simile fœcundæ terræ commissum  
progignere, sine destructione aut corruptione plantæ. Tandem canem rab-  
dum morsu suo, per salivæ communicationem eosdem planè homini aspergere  
affactus. Ultimò contagiosorum morborum eam esse naturam, ut in aliud dis-  
positum corpus facile transeam, eodemque contagio homogeneous inferant affec-  
tionem: Ergo simili ratione bruti sanguinem ad plures sæpe uncias, eundem-  
que animæ suæ præsentia non minus turgentem, hominis venis instillatum vel

etiam quā sui imaginem, vel caninum furorem, vel virosam energiā, vel bellō-  
nas actiones in homine relinquere posse.

Pro affirmativa militant exempla, experimenta & authoritates: exempli  
gratiā, ponatur quispiam complexione Phlegmaticus, cui ob sanguinem ex prædo-  
minio frigidum & humidum, mens torpet, animus hebescit, omnes sensus red-  
duntur tardiores; magister artis habeat duos tubulos argenteos inter se congru-  
entes, aperiat arteriam phlegmatici, tubulūmque inserat, muniātque, mox & cho-  
lerici arteriam findat, alterūmque tubulum infigat: applicatis sic mutuo tubulis  
sanguis cholericus cōolidus & siccus transmeabit in phlegmaticum frigidam & hu-  
midum; exortā inde temperie, mentis torpor, animi hebetudo, sensuūmque  
tarditas in laudabilem transformabuntur tenorem. astet iterum exhumidi radica-  
lis, spirituūmque defectu, surdus, cæcus, macilentus, animi pathematibus ferè ex  
animis, sic per receptum ab arterijs ejusdem vegeti, spirituosi & obesi sanguinem,  
is auditum, visum, corpulentiam, animāmque novā tanquam anastasi resuscitabit.  
Sic mittantur ex vetulæ venâ sufficietes emarcidi sanguinis unciae, in ejusque  
locum florentis ab animoso juvēne, aut intaminato bruto emendicari tantundem  
substituatur: exutis turpitudinis senilis exuvijs, vetulæ induo amicabili juven-  
tutis palludamento redimēgescet, virginemque ementietur conjugio dignissi-  
mam, quinetiam sint duo, quorum alter alterius caput ex odio petit, sociā hac  
transfusione pacem inibunt fœdere stabilissimam. Unde Joannes Sigismundus  
Elsholtius inter alias suas conjecturas hypotheseos sympatheticæ fundamentis  
innixas pacisci non expavit, quod si inter maritum & uxorem dissidentes mutua-  
fieret transfusio sanguinis, harmoniacam utriusque successuram esse conspiratio-  
nem: ô harmaniam cœlestes Calliopeæ melodias transcendentem! ô artificium  
sepulturam Mausoli, pyramides Memphis multis Parasangis post se relinquens!  
cujus vel solius praxi, opes Crœsi, dignitates Petri Apponensis, honores Triviæ  
sunt lucrables, mundum à tot tantisque malis intraetabili pertinaciā instar ultrici-  
s Thisiphones exardescētibus vindicando; hoc opus hic labor esset, quomo-  
do admissio tubuli persuaderetur? confirmant idem largissima, tum à bruto in  
brutum, tum à bruto in hominem, tum ab homine in hominem transfusionis ex-  
perimenta, prospero genio, à pluribus sparsim Authoribus administrata. Certè  
Casparus Godroys, testantibus ejus litteris ad Burdeotum, canis cuidam aucupa-  
toriæ senectâ languidissimæ transfuso hœdi sanguine non solum vires, sed ipsisti-  
mam restituit juventutem: alibi venis canis vetuli sanguinem canis juvenis tan-  
tâ cum exspectatione transfudit. ut post duas horas salire & exultare inceperit,  
cum senium ei oculorum usum ademisset, & vix anteā stare potuisset; immo  
quod amplius, canis quidam venaticus tredecim annorum ultra tres annos tantâ  
laboravit surditate, ut ad strepitum quemcunque ne ullam sensus notam insoua-  
verit;

verit; ita insuper debilis fuit, ut vix reptare potuerit, ubi Udniae in Italia apud Griffonos ceremonijs transfusorijs sanguinem annosum cum agnino vegeto commutasset, clapsō horulæ spatio Dominos suos in alio conclavi commorantes quæsum abijt, post biduum verò ædibus exivit, cum alijs canibus per plateas cursitavit: & quod magis mirandum est, ab eo tempore sensus redeuntis ad vocem appellantium notas iterum revelavit, clapsisque viginti quinque diebus ab omni penè surditate expeditus est, incredibilem insimul alacritatem manifestans. Edmundus Kingius Medicus in Anglia referente Chr stophoro Sturm Academiæ Norimbergensis Mathematico & Physico, duas oves, è quarum altera uncias quatraginta novem, ex altera verò sanguinis uncias quatraginta quinque extraxerat, semimortuas, refusâ sanguinis vitulini eadem quantitate ita sanavit, ut plus virium habere visæ sint, ac habuere ante profusionem sanguinis proprij Thymotheus Clericus Regis Anglii Archiater in præsentia Oldenburgi transfusorum hunc succursum impensè colentis, animallargâ sanguinis profusione tantum non exanim factum, convolutionib[us]que lethibus planè moribundum, refuso alterius animalis sanguine inter septem horæ minuta pristino vigori funditus restituit. Dionysius professor, & Physicus Parisiensis celebris rei curiositate excitatus, spectabilia plurimorum exemplorum, eorundemque utilissimorum monumenta tradidit: inter cetera apud Guisium ducem transfuso quatuor arietum sanguine desperitam equi eiusdam viginti sex annorum orexim adeò movit, ut certatim postea tuburcinatus sit. Ecane quodam tantum effudit sanguinis, ut ex residui paucitate se commovere amplius non potuerit: refuso postridie vitulino valorem recuperatarum virium in momento quasi prodidit summum: experientia cordior nec humano pepercit corpori, miris in eo effectibus opificij magnitudinem propagando. Anno utique millesimo sexagesimo septuagesimo sexto in Juvene quodam sedecim annorum, qui post chronicam febrem, vigesimāque venæ sectionem lethargo correptus erat, transfusionem sanguinis eo eventu tractavit, ut quamprimum octo circiter uncias agnini sanguinis recepisset, à sopore liberari, pristinæ mentis solertiæ restitui, miserisque somni disturbib[us] extricari, protinus cœperit. Paulò post Parisijs in sellarum portatore pecunijs conducto, tam optatè eandem celebravit, ut eo ipso subtractionis die, post decem circiter uncias sanguinis proprijs subductas, ac totidem ex crurali agni arteriâ refusas, agnum, eius reperat sanguinem, socialiter obliguriverit, nunquam fuisse sibi melius confirmans, & quidem cum reiterandi operis voto. Eodem adhuc anno vigesimo tertio Novembris ex agro in hominem, cui nomen erat Arthurus Coga, coram Viris præclarissimis in domo Arundelensi, industria peritissimorum Anatomicorum, Doctoris Reichardi Löweri, & modò denominati Kingij utilitatem transfusionis ad oculum demonstravit; decimo nono & vigesimo primo subse-

quentis Decembris utilitatis imaginem expressit, dum oculatis Medicorum Chy-  
turgorumque testibus adjuto Emeresij, hominem per octo annos periodice de-  
litum ingeminata sanguinis vitulini transfusione in providam revocavit mentein.  
Taceo Joannem Colle Medicorum non postremum, qui novi hujusce commenti  
utilitatem anticipanter ad vivum depinxit, in methodo facile parandi jucunda, tu-  
ta & nova medicamenta Cap. 7.p. m. 170 his verborum coloribus: *Denuò in-  
surget aliquis frustrâ hac esse tentanda, dum per pauciora èquè & bene valemus con-  
sequi optata, velut si quis sanguis è vena exiliens juvenis, admodum salubris, per  
fistulam in venam senis permeet, insufflante juvete, & sene attrahente & inspirante;  
ur sanguis juvenis intus attrahatur à sene, & ne hujus egrediatur: nam hic sanguis  
potest reparare humidum primigenium & temperamentum &c.* Taceo singularis  
ingenij ac genij Virum Mauritium Hoffmannum Academiæ Aldorffianæ Profes-  
sorem, ex cuius publicis lectionibus Disput. vigesimâ primâ de venæ sectione, ex  
sciographiâ itidem morborum contagiosorum, monstrari potest, ei transfusionis  
sanguineæ utilitatem innotuisse dudum, antequam ullus ullius exercitij rumor  
ad exterorum aures pervenerit: Taceo Ovidium, Ficinum, aliósque ex priscis  
etiam saeculis accersiendos, qui multis Scriptorum suorum præ sagijs huic suppeditio  
fœnerati sunt lucem.

Verum enim verò quamvis in biuio tramite constitutus, quò me vertam, hac  
an illac sit eundem non abs re hæsitam, fatearque negantium tramitem esse tritio-  
rem; incultiiori tamen utilitatem affirmantium me committere ausim, non ut cæ-  
teris magis sapere videar, sed ut pulcherrimo medicæ techneæ arcano livoris macu-  
lis penè succumbenti quadantes manus porrigam, nullus dubitans, quin impe-  
duosis Zoilorum sarcinis tortus ad stipidem sim offensurus. Ad hoc me ani-  
mant adducta exempla adhortantur experimenta, incitant ipsæ rationes, quarum  
ante me haec tenus mentio nec ulla ab ullo fuit facta, atque ut easdem pro cultura  
mei trinitis subjungam: *Hippocrates* asserit, quod natura morborum sit medi-  
catrix, ad facultates quæ naturales, quæ vitales, quæ animales in corpore humano  
exercendas immediatum animæ instrumentum existat, tota ad totius corporis in-  
tegritatem, conservationem, & valetudinem concurrat. Ipsissimam verò natu-  
ram, non modò elementaris partium syntaxis, primarum qualitatum crasis, verùm  
& imprimitis substantia illa ex humido radicali, calido primigeneo, spirituque insi-  
to conflata constituat; quidni & sanguis proportionaliter transfusus ejusmodi  
substantiâ, crasi & syntaxi etiamnum instructus, ad absoluotorem viventia alteran-  
da incolumentem deducet? propriâ individualis necessitudinis indole mutatio-  
neque methodicâ naturam variando? cum vel in necatis quidem corporibus pos-  
sit residuum humidi radicalis arte quadam educi, pro saluberrimâ alterius viven-  
tis medicinâ? sic pulveres, sic sales, sic tincturæ, sic magisteria, sic elixiria & ejus-  
modi

modi non pauca composita ex sanguine humano parata prostant apud Authores.  
 Accedit quod remedia, sive ex mineralibus, sive vegetalibus, sive animalibus de-  
 prompta, quod majorem affinitatem possident, cum corporis nostri partibus, qui-  
 bus addicta sunt, eò validius cognatâ nativæ substantiæ ope easdem roborent.  
 Hinc cephalica capitis, ophtalmica oculorum, otica aurum, odontica dentium,  
 cardiaca cordis, pneumonica thoracis, stomachica stomachi, nephritica renum,  
 hysterica uteri, artritica articulorum, experimento, characterismo & signaturis de-  
 tecta humidum radicale, sp' ritusque insitos fine sanitatis speciatim augent, perfi-  
 ciunt, conservant. Quidni sanguinea sanguinis, simillima devincti affinitate?  
 ipsâ porrò naturæ informatione, quæ tenellum fœtus corpusculum in utero per  
 vasa umbilicalia quâdam sanguinis materni transfusionem nutrire sollicita est, edo-  
 cemur transfusionem sanguinis non solum esse utilem, sed longè compendiosio-  
 rem nutritionis ac tutiorem viam: Siquidem alimenta in substantiam aliti conver-  
 tenda, eaque impuris adhuc portionibus inquinata per communicatum humorum  
 secundiorum, roris, glutinis & cambii nomine ab Arabibus insignitorum, forti-  
 oris, leviorisque concretionis discrimine dissidentium beneficium, tum præ viâ  
 ventriculi chylosi, hepatis hæmatosi, singularumq; partium homiosi multas adhuc  
 elaborationes subeant necesse est: Quas sanguis transfusione substitutus, alimen-  
 tum utique non tam remotè, ut vocat ipse Hippocrates, alitum jam dudum su-  
 biit. Neque autem affectiones duntaxat alioquin immedicabiles, verum etiam  
 pathemata animi, temperamenta corporis, inclinationes morum, exinde mutari  
 posse credendum: Usque adeo, ut non secus ac reducis veris gratiæ exulantem o-  
 mnibus campis restituunt ornatum; ita transfusionis amicitia deciduum decli-  
 nantis ætatis effusorumque morum cultum herbis quasi, carminibusque Medææ  
 resusciter. Sic timidos in alacres, iratos in mites, imbelles in fortes, prostratos in  
 audaces, vado haud difficiili evadere posse quis desperet, eductus ipso Aristotelis  
 axiome, nimirum, si senex haberet oculum juvenis, videret ut juvenis? ergo si  
 haberet sanguinem juvenis, esset alacer ut juvenis, fortis ut juvenis, audax ut juve-  
 nis, viveret ut juvenis.

Argumenta in contrarium ilagogata tanti ponderis non sunt, ut operationis  
 transfusoriæ utilitatem infringere valeant: Ad primam itaque negativæ senten-  
 tiæ rationem respondetur excedentem sanguinis calorem mutatio sanguine non  
 minùs temperari quam jusculis vitulinis calidè adhuc haustis: notatam ab exci-  
 pientibus incandescentiam ad tactum, saltem fuisse talem: Iterum sanguinem, nisi  
 purioris infusi paucitate, ejusdem tamen copiâ, post largam priùs corrupti edu-  
 ctionem vel maximè corrigi, nequaquam magis inquinari. Ad 2. cum in hoc  
 casu, sicut in venæ sectione, præmittatur non nulla corrupti sanguinis inanitio, quæ  
 transfuſo vegetiore recompensatur, virium potius leyamen, quam conquæſtum

earum-

earundem onus exspectandum esse, quoniam ipso rationis ductu, morbi quoque  
in sanguinis intemperie quadam consistens, suffecto temperatore sanari solent.  
Ad 3. non esse unam eandemque seminis & sanguinis rationem, cum alioquin  
illatione pari negandum foret, lac aut carnem unius animalis in alterius specie di-  
versi nutritionem cedere posse; in bestias mutantur, aut in cornutos evadant iij,  
quibus vitulinus infunditur sanguis, non esse cur timeant, cum neque ab anolo-  
ga lactis vaccini ingestionem cornuum visibilium timor unquam ursurit, receptus  
multo magis sanguis in corde & ceteris visceribus varie immutetur præparatio-  
ne, quam vestitus belluini genij exuitur. Ad quartam: solutionem secundi argu-  
menti sufficere, cum eodem modo in extracti, corruptaque sanguinis locam sub-  
stitutus purior omnem mortiferæ putrefactionis. ejusdemque sympatheticè con-  
tingens metum excutiat: secus in naso artificiali, ubi per cœlestem mediante  
universi orbis anima influxum sympathia persistit: quæ in elenigato per me-  
dium unitivum sanguine perditur. Ad quintam denique rationem respondetur  
brutorum sanguinem non minus nutriendis hominibus aptum esse, quam lac eo-  
rundem, atque carnem, à substantia sanguinis non adeò multum diversa. Abrahæ  
mi Mercklini Antilogiae memoratæ majus face sunt negotium: quas tamen pri-  
mas, salvo meliori judicio, suis instantijs ad incudem revocare audeo; primò  
nulla adhuc apodosi confirmatam esse interdictionem Romanam, quam præten-  
dit Author, imò ipsissimis Italorum testimentijs falsificatam esse quasi infrunito-  
rum figmentum. II. DEUM non belluini sanguinis transfusionem, de qua ex-  
ercendâ eo tempore altum erat silentium: sed ejusdem per os exhibitionem, ut  
impian & inhumanam prohibuisse, quam Plinius quoque detestatur. Lib 28, cap. I.  
III. Falsò supponi animam formaliter sanguini inesse, & ab emittentis venis,  
in recipientis venas transfundi, dum ait Mercklinus. Est igitur ani-  
ma in sanguine modo quodam divisi. Et alibi: de sanguinis propriè dicti  
formali essentiâ esse, ut calcat & animatus sit. Alio loco: Quid ni ergo bruti san-  
guis ad plures saepe uicias, isque animæ sua præsentia non minus turgens hominis  
vena instillatus &c. Ecquis integri cerebri approbat sanguinem animatum esse &  
vivere: alimentum medicamentolum cum sit, circumscribatur ad modum conti-  
nentis? non augeatur per intus susceptionem? nec sit toti continuo? Authores pro  
verificandâ sententiâ citati, sanguinem vocârunt animam, non quatenus formalis  
præsentia inest sanguini, sed quatenus à sanguine vitali materialiter conservatur.  
Quod fervet per iram, fugit per timorem, pigescit per mœstiam, effunditur per  
gaudium: in faciem occurrit per pudorem, non animæ formaliter præsentis, ve-  
rum sanguinis humido radicali, spirituque vivifico ebrij, & conservativè solum-  
modò ad vitam concurrentis opus est. IV. Exerceri artem posse, æquè ac do-  
ceri; si accedat manus imperterritæ dexteritas, & cautelæ in conclusione insinua-  
ta.

tæ. V. Sanguinem cùm insinuatis cautelis nullatenus refrigerari, nec extravasari in modum sanguinis in patinam post venæ sectionem effusi: sed continuitatis privilegio potius intravasari, æris interni injuriis per breve tubulum in hominis venum immediate derivatus nondum exponi; hinc proprio calore astuare, calido invato spirituque plenum reservari. VI. Omnem subitam mutationem esse periculosa, si fiat via ordinaria & addeterius. Nunquid illud axiomatis obtrudendum foret ad extremos morbos: Extrema exquisitæ remedia esse optima? VII. Hanc artem aboleri, non inutilitatis, sed difficultatis pondere; quod si facilis puslanimitas non effugeret, surditati, cæcitati, senio, dissidio, delirio, multisque aliis desperatis morbis profecto nuncius mitteretur. Similitudines oppositæ vel maximè claudieant; nam non datur similitudo à semine ad sanguinem, quod in utero ubiformam foeturæ induit beneficio vasorum umbilicalium nutritur per intus susceptionem, animatum est & proximè potens ad producendum corpus organizatum: Quæ omnia in sanguine non reperiuntur; nec valet similitudo ab insertione pyri in pomum, ob eandem rationem: Anima enim vegetativa in divulso ramo organis corporeis adhuc gaudenti viget, ramus nutritur per intus susceptionem, proximamque potentiam ad pyra facienda habet: Nec à plantarum semine, quod ad formam atque animam, velut ipse author exprimit, totius plantæ complectitur; non autem sanguis: Multò minus à cane rabido aut contagioso morbo facta similitudo locum habet, quibus peculiaris inest malignitas corpori humano inimica, quæ sanguini non nisi manifestè agenti inest nequaquam.

Quæ cum ita sint, undè, amabo, tam barbara animorum anima: umque metamorphosis? undè tam indigna bestialis sanguinis in humanum transfusio astimaretur? ubi Romanorum interdictio, DEI prohibitio, authoritatum citatio, argumentorū contrarietas, similitudinum oppositio? ubi ubi tam insipida quorundā Nasutulorum subsannatio fundamentum sibi vendicarent; quam obrem si hoc ē transfusionis exercitium pluribus vicibus instituatur, emitentis dispositi viscera robusta sint, utriusque vena sine dolorificâ nimis excoriatione expeditè inscindantur, per intermedios operationis canales, sive argenteos, sive æreos, sive pennarum caules opportunè unitos, præparandis animalium venis ac arteriis sub sanguifluo vase contentis, ea accesserit habilitas, ut tensæ non sint, non diu anteà langueant, digito subinde demulcentur, corpore delitescentes præmantur, coagulatio languinis infundendi approximatione calidum ardentium, ac inspersione salis volatilis cornu cervini, vel florum salis armoniaci impediatur, aliæque ejusdem cautelæ, inter facilitands novæ operationis exercitia observentur; concludo à Neotericis inventam sanguinis transfusionem à bruto in brutum esse quidem utilem, sed ad medicum circa hominis sanitatem determinatè versantem non pertinere; à bruto in hominem esse utiliorem, ab homine in hominem ad affectiones affectusq; certe roquin incurabiles esse utilissimam, *Dixi.*

(18) 90

*Ars transfundendi resonet per electra, cruem  
Quam neglexerunt, pristina saecula novam.*

PROMOTIO. TUBICINES  
MUSICA. POESIS.



*PETITIO LICENTIAE.*

**A**D te revertor DOMINE CANDIDATE, qui sanguis fluus sanguineam exorando aciem, succum, & sanguinem amisisti. Inde optimam partem elegi tibi stipatam lauro coronam, quae coronacense expectat caput; ut labore empta nobilitas, nobilitati congratuletur patruæ. Ad hanc Sceptriger honorum gestorumque illius strum minister obsequiosissime, ad janitorem aditus adhuc clausi, hunc meum candidatum de Cathedra inferiore descendente, clavemque efflagitaturum candite ducas, cavendo ne versipellis seducas; ad flectendum flectere jubeas. *Reverendissime Perillustris, & per quam gratijs Domine, Domine FRANCISCE CONRADE à STADIION Ecclesiarum Imperialis Bambergensis, & Cathedralis Herbipolensis, nec non Equestris Comburgensis, Collegiatæ S. Gangolphi juxta Bambergam respectivè Præposite, Senior, Iubilæe &c. Almae Universitatis Iulio-Ducalis Herbipolensis Cancellarie perpetue, summis semper officijs summè colende.* Ex propinquo aspice suppliciter genubus tuis advolutum JOANNEM VITUM HELLMUTH Coronacensem Nobilem Patriæ, nobilem animo, nobilem eruditione, mox nobilitandum Doctorali clypeo, solenni priùs Disputatione prævijsque examinibus, Herbipolitana Franconia severitate gnaviter tractatum, comprobatum, & legitimè admissum: aspice inquam, & consuetæ in hac Universitate licentiaæ clavem ut impetraret, à te impetrari finas.

*Huc tuba das sonitum, grates persolve decentes,  
Illico licitum jam licuisse gradum.*

*COLLATIO LICENTIAE.*

**P**ro collata gratijs licentia grates referimus immortales, & omni servitorum genere nos astricatos amplius astringimus.

CATHE-

## CATHEDRA SUPERIOR.

**H**umiliasti te DOMINE LICENTIATE descensu impetrandæ clavis, exaltabis relicta Baccalaureatus Cathedra ad superiorem pleno jure referandam, non ceratis Icari pennis, non Persei alis, non cereati Triptolemi curru, non aligeri Bellerophontis equo, non Colchicis Medææ draconibus per inania ætheris spatia: sed propitia Minerva, pedestri gradu, ad plenum honoris atrium te elevans. Ast in austero loco es constitutus.

*Non fert delicias, somnos, nec marcida luctu*

*Otia, nec caput hic fert feriale locus.*

Insomnem perturbant litterarum volumina, voluminum libri, sine quibus noctu diuque versandis Doctor non Doctor, ut Rex non Rex sine sceptro, miles non miles sine gladio, pictor non pictor sine penicillo.

## LIBER CLAUSUS.

**H**inc liber iste clausus in manus tuas venire desiderat, qui Catholicis Galenicæ scientiæ fundamentis affluens distinctè edocet, temperamentum sanguineum Melancholico, habitum corporis canosum gracili, ætatem juvenilem senili, sexum virilem muliebri, sanguinis missione minus offendit; largiorem ver autumno, autumnum hyeme, hyemem æstate, assuetum non assueto perferte sanguinis missionem. Unde falsam esse vulgi opinionem, quod prima sanguinis missio liberet à mortis periculo. *Consuetu namque longo tempore insuetis minus molestas sunt, ab assuetisq; non fit passio.*

*Qui, quæ, quod, morbus, methodus, quadretq; levamen*

*Hac tibi sunt clauso cuncta sciendo libro.*

## LIBER APPERTUS.

**A**pertum porrigo librum ut lectionum frequentia perspectè inquiras. *Cur* an refrigerationis, evacuationis, refulsionis, vel derivationis gratia sanguis sit mittendus. *Ubi* an in mediana, basilica, salyatella, vel saphena, in dextro, vel sinistro latere. *Cui* an sanguineo, melancholico, cholericu, vel phlegmatico. *Quoties* an bis, ter, vel pluribus vicibus. *Qualis* an quantitate, qualitate, vel motu peccans. *Quem* an scapellis, cucurbitulis, vel sanguis fugis. *Quomodo* an scissione transversa, an recta, foramine magno, vel parvo. *Quando*, an verè, autumo, hyeme, noctu vel de die. *Quantum* non tam parca profectò manu ad capacitatem uniusce testæ, ne sanguis commotus, &

non sufficienter educatus atrocius senviat: sed quo usque ex viginti libris sanguinis humani, indicationes & vires dant veniam; suau plerorūque Authorum, qui ad libras integras; imitatione Veterū, qui ad animi usq; deliquium eduxerunt sanguinē; exemplo membra amputati, ex quo aliquæ aliquando sanguinis mensuræ citra notabilis noxæ sequelam erumpunt. Sic eludes tam ironice a scriptum Neopracticorū cæmeterium. quod egomet usque ad finem vitæ meæ amore habendi distuli.

*Cur, ubi, cui, quoties, qualis, quæcis, quomodo, quando,  
Mittendus sanguis, fanda petente libro.*

## E P O M I S.

**H**Empallium non Alcisthenis chlamydum versicolore byslo prætextum, non rorido candore lucidum, non cæruleos columbarum flosculos æmulans, non multiplici ubique arte decipulum offero: sed pallium, quod amethystina violæ purpura mœret sibi, ut gaudeat tibi, sola ferrugine contentum est sua, ut in altioremet vertieem tollat purpurâ suâ: cape & disce simul utroque gestare humero medicè, modicè; animal implume bipes, ita colens DEVIM us Diabolum non offendat religiosè vitando.

*Non humeros onerant, quæ culta coloribus ornant.*

*Pallia: tam digno redditia digna viro.*

## B I R E T U M.

**H**Unc capiti impone pileum, non divitibus Persarum Gazis opulentum ad ostendandam Regiæ potentiae majestatem: at virtutis gloria lunam, sole que vincente tintum ad ostendendam superiore quadratura constantiam, inferiore rotunditate perpetuitatem, violaceo aspectu flagrantiam, qui capiti tot, tantisq; artium voluminibus litterato ad amissim quadrat: attende ne sis in verbis rotundus, in otio quadratus, in crimine flagrans.

*Quadratum quod non quadraverat ante quadrantem?*

*Quam bene quadrato, conditione, quadrat.*

## A N N U L U S.

**I**Radiet tuos digitos iste, quem porrigo annulus, à vulgi vappa te reddens se-cretum, & tanquam noviter Phœbo despontans: proinde non longè petenda sunt ornamenta, quasi necessum foret, Persica, Magelanicæque piscari maria, aut decerpere rorulentas Concharum verrucas, aut draconum insidiari frontibus, aut è piscium nescio quorum capitibus lumina poscere: intus latent gemmæ præ-divite annuli istius reconditorio sepultæ; inæstimabilis utique taciturnitas, liber-tas,

tas, scientia, & pax, ut secretataeas, libertatem observes, scientiam transplantes, pacem in eas: Ohe surdo canere videor, conjugiali ut recordor præoccupasti annulo, quo libertatem perdidisti, eruditionem retardasti, secreta aperuisti, & summo pacem periculo subjecisti.

*Et despontati gemma jam brachia cingunt,  
Et renitet per me Sardonichata manus!*

## OSCU L U M.

**I**ntueor te tot vigilatis noctibus, tantorum laborum exhausta ilia de supremis medicinæ ornamentiis habilem; quis ergo amplissimis honoribus Persarum ritu osculandum negabit! Ecce Hippocratico consanguinitatis vinculo mihi arctissimè junctum non dimitterem osculo, quo non Lamiarum brachijs, non Judæ labris: sed Christi basijs pacifice oblato, in fametolle bellum, nostra corda adeò discordantia toties sinistro mane sollicitans.

*Oscula pacificis: sed basia dantur amicis,  
Excipit amplexus conjugialis amor.*

## BENEDICTIO.

**J**Am optato tuus flore habitus amictu, non sine pulchritudine pulcher es! totus alius quantum distas ab illo, ut cœlum sidera, aulam proceres, hypocaustum mensa, cameram lectus, cellam vinum, granarium frumentum, culinam stannum, marsupium aurum, cystam gemmæ, musæum libri, stabulum pecudes, officinam instrumenta, templum imagines, chorum musica, scholam Disputatio adornant; sic tu hoc spectatissimi confessus atrium adornas! quid restat nisi Benedictio, nisi character honoris Doctoralis imprimendus.

## FORMULA.

**Q**uod igitur aeterna eterni Numinis Majestas, Cœlitum Regina, & tota cœlestis curia bene vertant, Religioni, patriæ, Facultati Medica feliciter eveniro velint, jubeant. Ego FRANCISCUS KLEINIUS Philosophiæ, & Medicinæ Doctor, nec non in Alma hacce Universitate Professor ordinarius, Authoritate DEI Omnipotentis, ac sacra Sedis Apostolica Cesareaq; Majestatis mihi per Facultatem Medicam concessa, te hic praesentem JOANNEM VITUM HELLMUTH Coronacensem Philosophiæ Magistrum, ac Medicinæ Baccalaureum legitimè examinatum, Disputatione publicâ comprobatum, ad gradum Medicinae Doctoralem admissum, mihiq; ut eundem tibi solenniter impertiar à Medica Facultate commendatum Medicinæ Doctorem dico, creo, facio, factumque assistente hæc præclarissimum

riſſimorum virorum corona palam prouunio, hic & ubique locorum censendum,  
 & venerandum, dans tibi potestatem superiorem Cathedram ex officio ascendendi,  
 legendi, docendi, explicandi, disputandi, curandi, aliosque ait ut huic gradui anne-  
 xos exercendi, privilegia itidem huic facultati coniuncta impertiens, idq; in na-  
 mine Sacratissimae Triados Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, Amen.

*Pandite nunc Musæ præsentia Numinis Vatum  
 Dulcisona ex alto plectra movete Choro.*

MUSICA. POESIS.  
 GRATULATIO.

**N**obilis & doctissimus Dominus Doctor, quo honoris titulo primus te salu-  
 to, tibi gratulor, mihi gadeo: Nunquid omnianorus Alædorum chorus  
 inescat animum? mellifluus saphicæ lyræ cantus demulcet aures? Delia lauri  
 Delphycæ folia solantur comas? lauto gratulabundorum spectaculo pascuntur o-  
 coli? O artis amaram radicem! ô fructum periculosæ plenum aleæ! quotus  
 quisque prò Deum Aesculapii filius est, qui notabilem attingit ætatem, eandemque  
 non nisi enervem! vitam propriam tot lachrymeris accessibus ponendo pro aliena:  
 nihilominus sarcasmicæ in eundem undique vigilant animadversiones! praxi  
 fœlicem, generis masculini dens, in fœlicem, generis fæminini lingua, nullam, gu-  
 neris neutri tergus comitatur, salus ægris soli fortunæ, mors soli medico imputatur;  
 coorta Pæantis tempestate præceps fit accursus, Palantio incolumentis  
 fato tractatur velut situlæ incendiariæ, quæ tempore incendii ambabus arrip-  
 untur manibus, post incendium sternuntur humi, ante incendium sub lacunari cu-  
 riæ dependent triobulares, & planè desertæ. Triplici Angeli, hominis, & dæmo-  
 nis facie effiguratus nescitur ad quod tandem genus monstri pertineat: Ast! no-  
 li cadere animo, promptius est cavillari quam æmulari, non rete accipitri tendi-  
 tur nec milvio, ars non nisi ignorantem habet osorem; junge casibus fælicita-  
 tem, consiliis prudentiam, disciplinæ peritiam, labori solertiam, periculo audaci-  
 am, si multati simultatem, invidiæ virtutem, tegnæ techniam, persecutioni patien-  
 tiæ.

*Sunt avibus sua rostra, bobus suacornua, cæptæ  
 Cur tibi deficerent, organa victoriae.*

Instructum armis laboris, instruam organis honoris: Sint tibi latræ scapu-  
 læ, quibus perferas, capaces aures, quibus pætereas, tarda lingua, qua supersedeas,  
 luscio oculi, quibus conniveas, uncatus nasus, quo eludas, doctorale cerebrum, quo  
 confundas; donec conducibili pollicia loculos morbo inanitionis & grosrepleti-

one

one curaveris, posthabendo ecclipticas bornologorum antiphrases, quorum mos est carpere, quod non capiunt, capere, quod non possunt, non posse, nisi calumnia-ri, alienaque contemnere, ut nil scientes, aliquid scire videantur: In propriâ lippi, in aliena imbecillitate taxanda centoculi, picæ loquaces, ranæ Ägyptiacæ: De quorum honesta scilicet tribu utinam non esseimus nos inter nos! qui despicien- do Basilisci oculos, fundimus Crocodili lacrymas, inde Delphi subsecamur pinnis, & Ichneumones cadimus morsu. Agedum NEO - DOCTOR osculo pacifi- cate doctrinæ tuæ divitias in conspectu prome; favet Apollo, arridet fortuna, non abnuit Minerva, dic succinctè quid scientias, an à Neotericis inventa sanguinis circu- latio sit necessariò admittenda.

*Scire tuum nihil est, nisi te scire, hoc sciat alter.*

*Promissis dives quilibet esse potest.*

## SENTENTIA DOCTORALIS NEO - DOCTORIS.

*An à Neotericis inventa sanguinis circulatio necessariò sit  
admittenda?*

**N**ovum novæ sententiaz imponis onus EXCELLENTISSIME DOMINE PROMO-  
TOR, quo onustus quid aliud sentiam de sanguinis circulatione, quam quod  
sit divina quædam in humanis corporibus membrorum dignitas, eorundemque aut  
facilis contractio, aut acuta porrectio, aut hilarescens color, aut motûs dexteritas?  
ut si sanguinem vigere in pectori, spirare in corde, salire in venis, promicare in o-  
culis, prostare in fronte, versari in lingua, consistere in pedibus, bellare in mani-  
bus, per omnem membrorum regionem vitam spiritumque diffundere, admira-  
mur, admiremur pariter nullum in arte medica ordinem, nullam medicorum for-  
tunam, studia nulla, quibus non suas leges ac jura sanctiat una hæc sanguinis circu-  
latio. Attamen senectentis illa ætatis est indoles, suâ semper censurâ castigare ju-  
niores, quos ætatis privilegio antecedunt, authoritatis arrogantiâ nituntur oppri-  
mere, tum ab annorum numero sibi ad blandiuntur, contemnunt quidquid læcu-  
lum non excessit. Magisterium juventutis tunc superbè invadunt, cum penè in  
secundam pueritiam dilabuntur; quia languent ipsi, nihil arridet, quod emicat,  
quod vibrat: Quia in cadavera declinant ipsis, etiam in aliis oderunt vitam.  
Quod deficientis ætatis est vitium, in adolescentis flore contentiose requirunt,  
extingui vigorem, jacere robur, ingenium opprimi, & quidquid elegans est & flo-  
ridum, aboliri, in vestitu, in epulis, in moribus, in scientia. Evidem reveror

canon

canos, non detrecto doceri per multa: admitto moderationem vestitus, obsec-  
quor epularum legibus, ad Magisterium morum me non ~~zg~~ è compono. At  
doctrinam de sanguinis circulatione enervari, Neotericorum de hoc dicendi me-  
dum per insigne ludibrium traduci omnino non patiar. Non juro Galeno, non  
adoro Hippocratem; est sua Hippocrati per tot ætates commendatio, est sua  
etiam Galeno. Pro suæ ætatis ratione, pro materia, pro foro, pro praxi dissimi-  
lem quisque vel similem meretur commendationem. Sacramentum dico Har-  
vēo, assentior Higmoro, teneo cum Conringio, quorum doctrina de sanguinis cir-  
culatione et si non antiqua, tamen vera: Vera ob gravissimum rationum pondus,  
quod ex veritatetriode Harveum deprompsisse, quis inficiabitur? pro qua de-  
monstranda suppono, quod sanguis uberior ex vena cava transfunditur in cor &  
arterias pulsu cordis, quam potest subministrari ex acceptis alimentis. Nam in  
singulis cordis pulsationibus, attrahitur in cor, & foras expellitur à corde aliqua  
quantitas sensibilis sanguinis, quæ q[uod] alis sit ex eo colligitur, quia unicuique datur  
observare, quod observarunt reliqui hujus doctrinæ sectatores, reperiiri, inquam, in  
corde hominis strangulati uncias duas sanguinis. Et dato, quod in viventis cor-  
de, minor in unaquaque pulsatione recipiatur quantitas, semper tamen aliqua por-  
tio recipitur, quam licet minimam judicemus, cum sensibilis sit, saltem debet esse  
una dragmae quantitas, quæ recipitur & propellitur; vel demus minimum, quod  
perceptibile est, & sit dimidia dragma: Hoc dato, pulsationes, quæ fiunt in corde,  
plures aut pauciores sunt, juxta ætatem, temperiem, diversumque pulsus usum, ad-  
auctum, vel diminutum. Plempius in se fatetur annumerâste in uno horæ qua-  
drante, à quo parum discedit Harveus, i[st]us mille trecentos & quadraginta. De-  
mus, quod saltem sint quatuor millia in unaquaque hora; minorem enim nume-  
rum nemo experietur in se, aut in alio: Cum ergo in qualibet pulsatione recipi-  
atur in corde sanguinis saltem diuidius scrupulus, intra horam recipientur plus  
quam sex libræ sanguinis: In sex horis plus sanguinis, quam potest in toto cor-  
pore reperiri; per decem octo subsequentes, si non detur sanguinis circulatio,  
non manet ex qua parte sanguis attrahendus, ut recipiatur in corde, præcipue in ab-  
stentio, in eo qui per plures dies non sumit alimentum; in quorum quolibet, vi-  
vere sine cordis motu est impossibile, & quod in unoquoque modo dicto sanguini-  
nam attrahat necessarium. Ex quo supposito, hanc infero probationis resoluti-  
onem: Omne cor vivens debet habere necessariam causam, ob quam illi tribua-  
tur aliqua portio sanguinis attrahenda in unaquaque systole; sed sola sanguinis  
circulatio est necessaria causa ob quam potest sufficiens copia sanguinis præstari  
pro unaquaque systole: Ergo circulatio sanguinis necessaria est admittenda.  
Major & minor evidenter convincuntur authopsiâ, & sensibus illas demonstranti-  
bus: Consequentia est legitima: Ex altera vero probatione suppono secundò,  
quod

quod authopſia convincit; quòd si ligetur vena in inguine canis, & scindatur in parte superiori, non exit sanguis. Si secetur infra ligaturæ partem, totius corporis sanguis per illam potest evacuari. Similiter in nobis apparet, quòd factâ ligaturâ in brachio, si supra ligaturam scindatur vena, sanguis non exeat, nisi ab alia vicina vena aut arteria simul sanguis illi communicetur: Infra ligaturam etiam in cruribus exit sanguis, sed & venâ, non autem supra illam. Idem contingit in versus cor à capite descendantibus, quod factâ ligaturâ, in parte superiori exeat sanguis, non in inferiori: Ex quo iterum resolutionis probatio enascitur talis: Si non daretur sanguinis circulatio, fieret maximè quia omnis sanguis à jecore per venas sursum & deorum, & versus omnem differentiam corporis communicaretur; sed ex di&is manifestè constat, quòd potius sanguis non moveatur à jecore versus reliquias partes, sed ab omnibus partibus versus ipsum jecur & venam eavam ascendentem ad cor. Ergo necessariò sanguinis circulatio est admittenda; minorem, in qua stat difficultas, convici authopſiâ, modo, quo dixi. Et si de hoc non satis, adhuc plura ex parte finis in necessitatem circulationis sanguinis effundam. Et quidem necessaria est: Tum ut ex motu humorum, sanguinis coagulatio impeditur, ( si enim tepidus privetur motu, grumescit, quod mulieres cognoscunt, & suillum sanguinem movent, donec frigesciat, ne grumescat; & intra corpus sanguis extravasatus, quia motu privatur, grumescit, dum in apoplecticis & hystericalis detinetur, & dum in plethoricae impeditur motus & fiunt venarum interceptiones ) Tum est necessaria sanguinis circulatio, ne sanguis quietus statim putrefaciat, ut contingit in eo, qui efficit tumores. Tum conducit sanguinis circulatio, ut ad extra apposita medicamenta possint humoribus communicari: Ideò enim solutiva ad extra applicata purgant per ventrem, & venena interficiunt, quia ad extra apposita communicantur cordi. Tum conducit circulatio, ut si humores in partibus externis refrigerentur, iterum redeentes ad cor, in nativam temperiem reducantur. Tum denique conduit, ut aptius possit sanguis omnibus partibus distribui per arterias: Ergo ob hos fines necessariò est admittenda sanguinis circulatio. At quamvis uberrimas undique probationum resolutiones vobis ostenderim, lubet tamen, ne adversarii imposterum quicquam de Harveo Principe conqueri valeant, aliquo saltem modo Achille eorum futilem fucatumque in lucem edere, aut potius ineptas rationes omnino enervare. Dicant ergo: Si sanguinis circulatio daretur, etiam fieret in fœtu utero adhuc concluso, acqui in illo non fit, ergo nec in lucem edito. Adhoc &c. disting. min. in fœtu utero adhuc concluso non fit viis iisdem conced. divers. nego min. diversitas autem viarum, non obstat essentiae circulationis. Dicant ergo stante sanguinis circulatione, stare non potest spirituum vitalium in corde generatio, eorumque arteriarum motu in partes distributione, ergo non est admittenda. &c. similiter disting stans sola concedo, compatibilis

bilis nego. Non enim dictæ functiones, sed plurimæ adhuc antiquorum doctrinæ compatibiles sunt cum sanguinis circulatione. Dicant: Si daretur circulationis sanguinis per venas & arterias, moverentur venæ sicut arteriæ ob eandem functionem: Ex. disting. sequelam. Si venæ insuper vitali facultate indigerent promotu sicut arteria conced. sine indigentia hujus muneris nego. Vena enim ob sanguinem solummodo deferendum, arteriæ verò ad impertiendos simul spiritus conformatae sunt, commotionem necessitantes.

Dicant si sanguis moveretur per cor, malignus in febre maligna, pestilens in pestilentia, etiam per id moveretur, spiritibusque coquinatis subitaneus sequeretur interitus, quod est contra experientiam, Ex. disting. sequelam. Sequeretur interitus nisi malignus obtundi queat cum mixtura sanguinis laudabilis concedo, si obtundatur nego. Dicant & quidem ultimè: Coctio secundum Gal. petit quietem, at sanguinis est sua coctio, ergo petit quietem, consequenter continuus circulationis motus non est admittendus. Ex. disting. maj. petit quietem ratione loci in quo fit neg. ratione conturbationis coctioni noxiæ conced. hisque solutis Harveum teneo. Hinc concludo circulationem sanguinis à Neotericis inventam esse necessariò admittendam eandemque esse centrum ad quod rationum pondere inclinor, Polum, ad quem meæ vertantur cogitationes, Scopum, ad quem ferantur solicitudines, Illicium, quo arripiatur pectori meo cor, Viscum, cui implicitur appetitus, Magnetem, ad quem respiciat animus, Metam, ad quam decurrat affectus, Terminum, in quo desideria mea conquiescant. Dixi.



## GRATIARUM ACTIO.

**M**ultiformes eruditionis tuæ coram prompsisti divitias. Ast? quæ fluxâ jam horâ gratitudinis divitiæ pro liberali plenissimi confessus audientia restant? Concede dulcisonam, ô Isocrates Syrenem, fulminantem Pericles Suadam, auream Gorgias linguam, funde gemmas Hydaspes, solve aurum Ganges, ne vacuos dimittatis eos, quos verbo & opere compensare oportet: Non exaudimur! ergo excusatamur; qui nequit offerre thura, lac fert: nos transfusione sanguinis, cuius hactenus judicio apographici styli avaris nimis venæ sectionibus congregasti divitias, gratum animum exhibebimus.

## D E O.

**T**Ibi imprimis Omnipotenti cœlestium gratiarum trigæ Triuni D E O, quem præsen-

præsentem quælibet herba monstrat, potentem submissa potentium diademata agnoscunt, Largitorem bona proclamant omnia. Tibi magnæ Creatoris Matri, cæterisque studiorum nostrorum Præsidibus, gratias agimus immortales devotissimè offerendo, non sanguinolentum fastum, quem Judaica. Æthnicaque habent sacra; sed sanguisfluum martyrium, quo DEI Filius Jesus Christus pro redemptione nostra fuit cruciatus, non finite quæsumus illud pro ablutione peccatorum nostrorum, quibus toties divinam animam tam cæcè inquinamus, non finite esse perditum, qui promptiores estis in eriendo: quam nos decliviores in cadendo.

*Gloria in excelsis Domino, qui cuncta creavit.*

*Laud Christo cuius sanguine fusæ salus.*

## PRINCIPI.

**R**everendissime Celsissime PRINCEPS ac Domine Domine PETRE PHILIPPE S. R. Imp. Princeps Episcope Bambergensis, & Heribolensis Francie Or. Dux Domine noster Clementissime decantatissima regiminis prudentia, amor scientiarum, sagacitas consiliorum, felicitas ingenii, serenitas frontis, purpura genarum, talentorum omnium integritas, elucescens totius corporis majestas Celsitudinem tuam indubitate complexionis exæctè sanguinæ signatura venustant: cui ex humili radicalis abundantia constantior vita saubrioris longævitas adscribitur, ita ut transfusio sanguinis aliis utilis, tibi sit inutilis: attamen ex subtilissima sanguinis tenuioris substantia spirituum scaturiunt tres fontes, unus à corde, à cerebro alter, tertius à jecore, à cordis fonte uberes spiritus vitalis fluunt rivuli, per arteriososque canales toti corpori ad obeundas vitæ conservandæ functiones distribuuntur: hoscerivulos pro submisissima gratiarum actione Celsitudinis tuae trino cordi semel, bis, terve traducimus, ut corporis tui functiones per triplicatam quasi vitam obeantur, centenisque annis, quos æquilibris complexio declinatis medentium mendis, tibi promittit, ducenteni adhuc pro DEO, pro patria, pro te ipso adjiciantur.

*Optatos Princeps rege PETRE PHILIPPE per annos*

*Cor triplex, pro te, pro grege, proq; DEO.*

## RECTORI MAGNIFICO.

**A**Cerebri fonte profluit rivulus spiritus animalis, & per nerveos meatus, in penitissimos corporis humani fertur recessus: hinc homo sensuum alacritatem, motus promptitudinem, validumque imaginationis, ratiocinationis, & memorie exercitum nanciscitur *Adm. Reverende Prænob.* & *grat. D. D.*

D 2

AN.

**ANTONI de WILDBERG.** Eccl. Cath. Herb. & Equest. ad S. Ferrucium in Bleidenstatt Can. Cap respectivè Scholastice & Officialis ad S. Burck. Herb. Præposite, Vniversitatis nostræ Rector Magnifice, qui temperaturæ tam salubris physiognomia declinearis, ut tribuit Hyppocratico. Parum contribuens non alieno; sed alieni tuo indigeant sanguine; tibi igitur in gratitudinis tessera hunc spiritum intronizamus, ut præter cæteras naturæ dotes, alacriter sentias, promptè movearis, principes rationis, & memoriarum functiones in Nestoreos exerceas annos.

*Rectori stabilis connata talenta vigoris  
Magnifico, magna magnificate tubæ.*

## CANCELLARIO.

**A** Jecoris fonte originem ducit spiritus naturalis, ex spirituosisima sanguinis portione genitus, qui per venosos ducit in omnes corporis partes dispergitur, ibi alimentum partium spirituolarum, materiamque spirituum vitalium subministrat. Unde dependet illa animævis, quâ corpus nutritur, vegetatur, & augetur. **Reverendissime Perillustris & per quam gratiose D. D. FRANCISCE CONRADE à STADION.** Eccl. Imp. Bamb. & Cathed. Herb. nec non Equest. Comb. & Collegiatæ ad S. Gangolphum juxta Bambergam respectivè Præposite, Senior & Iubilæe, Vniversitatis nostræ Cancellarie perpetue, cui complexionis quoque character est impressus tam laudabilis, ut optimæ medicinæ tibi haetenus fuerit, medicinâ non usum esse, hunc spiritum frustaneæ transfusionis loco multis inspiramus reductibus, ut per continuam spirituum deperditorum restorationem nutriaris, vegeteris, & augearis, salvus inde & incolmis extrem amattingas senectutem,

*Et vitam, & vires, vos cancellario in ævum  
Ex cancellato conciliate choro.*

## PRÆLATIS ET CAPITULARIBUS.

**S** Anguinea humani corporis massa quadruplex, sanguinem sincerum, melancholicum, cholericum, & phlegmaticum in se continet: sincerus ex prædominio calidus, & siccus homines reddit diætâ temperantes, imaginatione fœlices, animo hylares, discursu faciles, moribus suaves, ætate longævos **Reverendissime in Pontificalibus, & Spiritualibus Celsiss. Princ. nostri Vicarie generalis, & Suffraganeæ. Reverendiss. Perillustres, Prænob. Religiosissimi, Magnifici**

fici D.D. Imp. Bambergensis, Cathedr. Herbip. variarūmque Ecclsiarūm,  
 & Cenobiorum Præpositi, Decani, Abbates, Prælati, Canonici Capitulares:  
 Vobis hunc instillamus sanguinem; ut eā, quā dudum incepistis non satis laudan-  
 da citrā excessum temperantia, citra miseriā fœlicitate, citra passionēm hilarita-  
 te, citra difficultatem discursu, citra barbariem urbanitate in ætatem triumphetis  
 longævam.

*Vivite fælices quibus est fortuna peracta,  
 Pergite sincero sanguine fata sequi.*

## THEOLOGIS.

**S**Anguis melancholicus ex prædominio partis frigidioris & siccioris sic dictus  
 homines disponit studijs sollicitos, animo intentos, vitâ solidarios, memoriâ  
 firmos, rerum vigiles, moribus simplices, cælibatu zelosos, ita, ut vix ullum non  
 Sanctorum melancholicum fuisse, planè nobis persuasum habeamus, nullūmque  
 hominum vivere diutius ac melancholicum, cui abstractè vigilanti, omnemque  
 diei horam numeranti vitæ tempus protelatur, non fallitur. *Adm. Reverendi  
 Religiosi venerabiles eximiq; SS. Theologiae, quâ Professores, quâ Celsiss. Principo-  
 nostri Consiliarij in Spiritualibus Vobis hanc sanguinis partem participamus, ut  
 memoratis adjuti virtutibus in terris longævi, in cœlis sancti gloriari possitis.*

*Tristitia mordaci quæis tempora felle rigantur,  
 His iter ad Superūmmænia dule patet.*

## JURISTIS.

**S**Anguis cholericus ex prædominio calidus & siccus, suis quoque virtutibus  
 homines induit; eos enim efficit rerum vigiles, somno parcos, auditu prom-  
 ptos, ingenio acres, animo intentos, actionibus expeditos, sensu vegetos. *Nobi-  
 les Clarissimi & Consultissimi Viri, ac D.D. J. V. Doctores quâ Professores, quâ  
 Celsiss. Prince. nostri Consiliarij hunc vobis sinjugamus sanguinem; ut vigilanter  
 studeatis, promptè audiatis, ingeniosè judicetis, animosè expediatis, & sine morâ  
 jus suum cuique tribuatis; rixarum denique tumultumque insomnia, quæ hic san-  
 guis inducere solet, vegetè eludatis.*

*Ius aqua, ius rectum, ius dicitur esse potestas,  
 Est aqua pro potu, rectum grege, Rege potestas.*

## MEDICIS.

**S**Anguis pituitosus, nempe frigidus & humidus, homines in quibus prædo-  
 minatur, constituit irâ placabiles, discursu sedatos, obliuione faciles, animo

( ; )

mansuetos, judicio tardos, experientia durabiles. Nobiles Clarissimi & expertissimi Domini. Domini Medicina Doctores, quae Professores, quae ceteri practicantes; hunc sanguinem vestris inferimus venis, ut irascamini sine vindicta, discurratis sine musea, obliviscamini sine difficultate, animemini sine insolentia, judicetis sine præcipitania, experiamini sine fine, ut optata potius ægri queratur salus, quam proximi contemptus.

*Quicredit verbis plus quam medicabilis herbis,  
Tum miser ære scit, tum miser ore perit.*

## PHILOSOPHIS.

Præter quadruplicem sanguinis substantiam in venis contentam, quæ ex aliamentis fit, in nutritionemque ordinatur, quinta necessariò concurrit sanguis seorsus dicta; quæ non in nutritionem, sed massæ sanguineæ vehiculum abit, fluxili hinc excursu, per venas, per arterias, per nervos singulis corporis partibus imbibitur, totius æconomiam administrans. Reverendi & submississimi Patres ac Domini quæ Philosophia Professores quæ ceteri Magistri: hanc vobis substantiam catagraphamus; ut beneficio sanguinis feroci. Scrum Philosophicæ juventutis existatis vehiculum, mollitoque crassitie fuso, partim per nutrientes venas ad medicinam, partim per vivificantes arterias ad jurisprudentiam, partim denique per animantes nervos ad ipsa Theologicæ subsellia evanescatis, hinc correcta in viros evadat toti patriæ considerabiles.

*Serius autem cyclo metam prefigite trinam  
In gratia grati, jus, sacra scripta, febrem.*

## SENATORIBUS.

Post sanguinem venosum universas humani microcosmi regiones alluentem superstes effertur sanguis arteriosus, qui à venoso etiamnùm faculentiōri segregatus cordis sinus ingreditur, ibidemque magis eruditur, selectior evadit, æconomicā postmodum dispensatione, per totam sistematis arteriosi compagēm dispergitur, ut humanitūs in vitalem cedat laticem, in animi vero passionibus ad certam conservationis suæ scaturiginem iterum confugit. Nobiles, prudentissimi Domini Metropoleos Eoo-Francia Consules & Senatores, Vobis hic associandus sanguis, qui à plebe segregati, sub cordis sinu eruditæ selectiores evasisti; ut per gatis æconomica dispensatione, per totam sistematis Civilis urbem humanitūs distribuere; in animi vero passionibus confugere ad cor patriæ conservativum, ubi invenietis concordiam petrosis undique lapidibus fœderatam.

*In genere, & numero, & casu concordet amando,  
Cordando, stando, bis duodena manus.*

IN

## MUSICIS.

**M**usicam qui non amat, bestiarum conditione deterior est. Hanc cùm à juventute amaverimus, & Musicos amemus necessum est, affabri demulcere animum sympsalmate: quid ergò sanguinis pro gratitudinis symbolo transfundemus, ut vobis

*Proflciat, profit, conducat, sitq; saluti.*

Ecce in defectu tang. inis humani maxime accedit sanguis suillus, validissime enim nutrit, firmum præbet alimentum, cæterisque humidior est: pro cuius correctione vinum militiam exercet, hunc à turcetariis in botulum priù farcitum non venis (parcendo dolori) sed ori indimu, ut vini musicè sumpti siccitas, qualitate ejusdem humectativæ: edacitas autem substantiæ alimentari infringatur: ne noceat vobis haustus

*Cantor de vino, de lacte renarrat arator,  
Enumerat miles flumina, pastor aquas.*

## PEDELLO.

**Q**uid tibi D. Pedelle infundendi sanguinis præfagit mens, qui antecessoris tui toties cavillati vestigiis perterritus habes cur timeas? pone metum, solito disc: etiùs nos tecum asturos videbis: Sunt quidem insultiores qui tibi sanguinem infunderent asinimum: absit à nobis, entia non sunt multiplicanda sine necessitate. Sunt qui vulpinum! frustra; vulpem in corde geris: sunt qui leporinum? parcimus: sat auritus es: en obligatum in te animum, agnimum infundimus, ut ad vexationem quorumcunque dissimiles, & instar agni non bales, absq; vindictarumque appetitu tuum post hac obeas munus, sic evades in virum & pecuniosum & ingeniosum; *dissimilatio enim pecuniam, vexatio facit intellectum.*

*Sicut it, ire finas, quia sic it, sicut it, ire*

*Sicut enim nunc it, semper it, ivit, eat.*

## PROFESSORES EX CONCILIO UNIVERSITATIS HERBIPOLENSIS.

*Status Religiosi.*

2.	11.	3.	10,	12.	1.	13.
Itzstein, Brang, Mundschenk,		Bernard,	Haan,	Risse,	Wieffel,	

*Status Secularis.*

4.	8.	5.	9.	6.	7.
Fælen, Klein, Weygant,		Virtung,	Kirsinger,	& Ambling.	

MS. A. 1. 1. fol. 1v

— und nicht auf dem Hause zu verlieren, sondern auf dem Lande zu verbergen, und  
dass es nicht leicht ist, die Sache zu entdecken.

— und nicht auf dem Hause zu verlieren, sondern auf dem Lande zu verbergen, und  
dass es nicht leicht ist, die Sache zu entdecken.

— und nicht auf dem Hause zu verlieren, sondern auf dem Lande zu verbergen, und  
dass es nicht leicht ist, die Sache zu entdecken.

— und nicht auf dem Hause zu verlieren, sondern auf dem Lande zu verbergen, und  
dass es nicht leicht ist, die Sache zu entdecken.

— und nicht auf dem Hause zu verlieren, sondern auf dem Lande zu verbergen, und  
dass es nicht leicht ist, die Sache zu entdecken.

— und nicht auf dem Hause zu verlieren, sondern auf dem Lande zu verbergen, und  
dass es nicht leicht ist, die Sache zu entdecken.

— und nicht auf dem Hause zu verlieren, sondern auf dem Lande zu verbergen, und  
dass es nicht leicht ist, die Sache zu entdecken.

— und nicht auf dem Hause zu verlieren, sondern auf dem Lande zu verbergen, und  
dass es nicht leicht ist, die Sache zu entdecken.

— und nicht auf dem Hause zu verlieren, sondern auf dem Lande zu verbergen, und  
dass es nicht leicht ist, die Sache zu entdecken.

— und nicht auf dem Hause zu verlieren, sondern auf dem Lande zu verbergen, und  
dass es nicht leicht ist, die Sache zu entdecken.

— und nicht auf dem Hause zu verlieren, sondern auf dem Lande zu verbergen, und  
dass es nicht leicht ist, die Sache zu entdecken.

— und nicht auf dem Hause zu verlieren, sondern auf dem Lande zu verbergen, und  
dass es nicht leicht ist, die Sache zu entdecken.

— und nicht auf dem Hause zu verlieren, sondern auf dem Lande zu verbergen, und  
dass es nicht leicht ist, die Sache zu entdecken.